



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

[Proloquium.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



TRACTATUS VII.

DE

PECCATO ORIGINALI.

PROLOQUIUM.

Postquam *personalis peccati* stygiam larvam ab oculis tuis removi, Amice Lector, ecce! novum monstrum objicitur, *peccatum originale*; hydra non minus caudâ, quàm capite metueda: Capite; nam est culpa Capitis, & à capite venenum lethale diffudit in omnia humanæ naturæ membra: Caudâ quoque; non enim tertiam tantum partem, ut ille draco Apocalypticus; sed omne genus humanum (exceptâ illâ, quæ *caput serpentis contrivit*) feralibus, & ineluctabilibus spiris implicuit. Tractatum de hoc originali peccato angelicus Doctor suscepit q. 81. & per tres consequentes quæstiones expedivit, cum ageret de causis peccati; ubi post varias peccatorum causas, ostendit, in peccato originali etiam hominem homini lupum esse, quamvis de eodem in 4. contra gentes à c. 50. usque ad 52: & q. 4. & 5. de malo jam prius disputaverit. Mihi materiæ gravitas & amplitudo persuasit, ut originale peccatum, tanquam personali oppositum in specialem Tractatum digererem. Necessitatem hujus Tractatus agnoscit D. Augustinus eo ex capite, quod tota fermè doctrina fidei & Religionis Christianæ illius notitiam & fidem præsupponat: *In causa duorum hominum* (inquit de peccato originali c. 23.) *per quorum unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit.* Difficultatem quoque illius ingenuè fatetur l. 3. de peccator. mer. & remiss. c. 4. dicens: *Licet nihil sit hoc peccato ad prædicandum notius, nihil tamen est illo inter fidei nostræ mysteria ad intelligendum secretius.* Quam tamen difficultatem ductu angelici Doctoris superare & eluctari conabimur.

DISPUTATIO XXVI.

DE

Existentia peccati originalis.

Nomine peccati originalis à Catholicis intelligitur quidam defectus moralis, *sive* labes, quæ hominem naturali viâ generationis ex Adamo totius humani generis Capite descendente, ex vi illius peccati, quod primus parens commisit, comitatur & inquinat, ac quamdiu non abluitur, aut remittitur, DEO exosum reddit, eumque ab æterna beatitudine excludit. Dicitur originale, partim quia derivatur ab Adamo, qui est caput & origo naturæ humanæ, partim quia à prima origine & instanti ani-